

21

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICAE
SISTENS
FVROREM VTERINVM
PATHOLOGICO - THERAPEVTICE
CONSIDERATVM,

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTA TE MEDICA
P R A E S I D E
V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO OR-
DINARIO, IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET FACVLTATIS MEDICAE P. T.

DECANO,
PATRONO AC PROMOTORE SVO
AETERNA PIETATE COLENDO
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE CAPESSENDIS

AD DIEM IANVAR. A. S. R. MDCCXLVII.
DISQVISITIONI FRVDITORVM PLACIDAE

SVBMITTIT
AVCTOR RESPONDENS
THEODORVS GOTTLIEB BVCHOLTZ,
CIMBER.

HALAE SALICAE
EX OFFICINA KITTLERIANA.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
FVRORE VTERINO
PATHOLOGICO-THERAPEVTICE
CONSIDERATO.

PROOEMIUM.



Inter varia morborum genera
& agmina, quæ hinc inde dra-
mata sua ac schemata ludunt,
& labem calamitatesque ma-
chinantur mortalibus, ipsam
vitæ humanæ, fragili admodum auraque qua-
vis fugaciori, minitantiæ stragem, non illa
quidem vltimo loco ponenda esse censeo, quæ

sexum sequiorem sæpissime occupare, valdeque discruciare assolent. Cum ergo mos solennis hoc imperet, iubeat, ut quivis dignitatem in arte medica, ac privilegia immunitatesque ambiens, speciminis loco thema quoddam publicæ eruditorum ventilationi sujiciat, edat atque defendat, commotus diu multumque mecum, in eligenda materia dubius, deliberavi, quodnam thema elaborandum & Dissertatione inaugurali exhibendum mihi esset. Probe vero teneo, quam curta mihi in scribendo sit supellex, & quantum, tam intuitu scriptoris, quam ipsius scripti, requiratur. Dum *furorem uterinum* pathologico-therapevtice considerandum & pertractandum mihi sumsi, omnino vereor, ne cramben multoties coctam & recoctam apponens, in quorundam incurram reprehensiones, qui junioribus Medicis parum plerumque confidunt, juxta tritum adagium: *Novus Medicus, novum cæmeterium*; quod quidem dicterium quis primum protulerit, parum omnino referre existimo. De *Job. Bapt. HELMONTIO* relatum accepi, eundem hanc foventem

tem sententiam, ita judicasse: Quemvis juniorem Medicum gibbosa prius reddere cœmeteria debere, quam certitudinem in arte medendi obtineat & acquirat. Iisdem vero temporibus quivis medicinæ ac chemiæ inhians, PARACELSI vestigia premendo, nova arcana chemica a se inventa jactitabat, quæ, si effectum quendam casu præstabant, nominibus insigniebantur speciosissimis, & hoc pacto illud HELMONTII effatum ac dictærum de iis, qui rem medicam suo ævo faciebant, recte quidem & omni jure prædicari potuit & valere debuit. Alia autem jam rerum est facies. Ars medica duobus innititur fuleris, ratione nempe, & experientia, & hisce unice innitenti rationali Medico, & ad praxin exercendam, doctrina ac manu ductione Virorum celeberrimorum ac experientia multa conspicuorum, imbuto, de experimentis per mortem atque cœmeteria denuo impetrandis, non erit, quod sollicitus sit. Prius vero quam ipsam rei adgredior tractationem, pauca quædam præmittere a scopo nostro

stro non erit alienum. Multis licet mortales, dum spirant, obnoxii sint calamitatibus, tanta tamen hominis præ reliquis creaturis est excellentia, tamque nobilis indoles, ut nihil hoc in rerum systemate & nexu extet ac inveniatur, quod cum præstantia ejus, eidem a summo Numine benigne concessa, componi ac vilo modo comparari queat. Nihil etenim DEVM exactius repræsentat, quam mens humana sentiendique facultas, quippe qua ad ejus imaginem & similitudinem procreatus, & artificiosissima compage constructus est. Est siquidem mortalis homo *simulacrum DEI*, uti CAMERARIUS in *Sylloge memorabil.* scribit, *expressissimum.* Quanquam vero uterque sexus, tam virilis, quam muliebris, vindicem DEI manum, frivolam protoplastorum transgressionem & inobedientiam nostram justissime tantis promeritis malis, ipsaque morte, punientem, fatis superque quotidie sentiat, magis tamen dignus commiseratione videtur sexus sequior, qui hancce DEI justissimi vindictam maxime
fen-

sentit & experitur. Omnem enim hominem, cujuscunque ille demum sit sexus ac conditionis, multiplicem ad morbos dispositionem habere, nullus quidem est, qui nescit; & Medicus inprimis rationalis hominem ipsum corruptionis principia in proprii corporis mixtione & structura continere, mortisque causam ac mineram in sinu suo præsentem fovere, optime perspectum habet. Quot enim quantisque & intricatis adfectibus, variis ex causis incunabula demum trahentibus, obnoxius subinde & expositus sit sexus sequior præpotiori, neminem medicæ artis gnarum procul dubio fugiet. Huic enim sexui varii familiares, proprii & domestici (vt ita loquar) sunt adfectus morboſi, variæque excretiones, & naturales, & p.n. quæ si interruptæ atque sufflaminata non rite procedunt, innumeris januam pandunt pathematibus. A teneris enim statim hocce, alias satis amabile genus, modo hoc, modo illo morbo adfligitur, donec imminente pubertatis termino, primoque lunari
tri-

tributo soluto, novi multi, iique graves & maxime rebelles, omnem sapius Medici artem eludentes, immineant, qui postmodum insurgentes & obfirmati, corpus humanum valde torquent ac misere exagitant.

Horum ergo schema quoddam in *furore* sic dicto *uterino* iam exhibiturus, TE prius, DEVS T. O. M. supplex veneror, vt gratia TVA divina mihi adesse, cunctaque ad sempiterni nominis TVI gloriam & proximi emolumentum clementissime dirigere velis. Te vero, lector amice, vt objectum tractationis meae ac materiam, levi minerva exaratam, benevole interpreteris, primorumque horum tentaminum tenuitati humaniter indulgeas, enixe rogatum volo.





§. I.



Ad ipsam gravioris hujus adfectus specialiorem tractationem priusquam me accingam, ea prius, quæ tam ad naturalem, quam præternaturalem corporis humani statum spectant, paucis præmittere lubet, ut faciliori dein negotio ætiologicam ejus explanationem his superstruere, eamque exinde planiorem ac evidentiore reddere queam.

§. II.

Machina est ens compositum, substantia, sive corpus, cujus mutationes secundum leges motus eveniunt atque succedunt.

§. III.

Corpus humanum est machina, eaque non simplex, sed composita. Corpora vero mota, vel sese moventia,
B quum

quum potentiam vel activam, seu vim motricem, vel passivam exferant, ideo corpus animale & humanum, tanquam mobile & se ipsum movere valens, vim activam, seu motricem, habet, & hinc *natura* gaudet.

§. IV.

Corpus animale & humanum entia composita sunt, naturam & materiam cum reliquis animantibus communia possidentia, hinc corporibus naturalibus omni jure adnumerari possunt ac debent, per consequens nomen *machinae*, in sensu philosophico sumtae, corpori animali ac humano competit.

§. V.

Machina corporea naturalis vel mixtionem, vel structuram, vel texturam, vel cuncta simul admittit.

§. VI.

Corpora naturalia facultate agendi, vi suae compositionis, praedita sunt, eamque propter finem, cui destinata sunt, possident. Ergo vis eorundem activa in mixtione, textura, vel structura, quaerenda venit.

§. VII.

Corpus humanum & animale tanquam corpus naturale est considerandum. Ergo potentia agendi, ob finem sibi praescriptum, gaudet, qua actiones suas, ob causas finales determinatas, exercet.

§. VIII.

Corpus humanum & animale est machina automatica, seu automaton vivum, quod principium motus
intra

intra se ipsum habet, ex organis, ratione figuræ, magnitudinis & structuræ diversis, certo loco, ordine & situ dispositis ac mobilibus, resultans; & hinc per legitimam consequentiam motus in corpore humano ac animali occurrentes & ex mixtionibus & diversa organorum structura pendentes, ad finem exsequendum sunt producti.

§. IX.

Principia motus in corpore humano ac animali sunt duplicia, unum internum, alterum externum. Commoveri autem corporis nostri artificiosissimam machinam hoc duplici motore certum est, interno, qui est sanguis cum spiritibus, vel fluido nerveo subtilissimo, utpote cum quibus vita incipit ac desinit; & externo, scilicet aëre, sine cuius usu in vita persistere non possumus.

§. X.

Vitam animæ in cogitatione & ratiocinatione, vitam autem in genere in motu consistere, palam est.

§. XI.

Corporis humani partes vel solidæ, vel fluidæ sunt, quæ omnes mire inter se coherentes, infinitarum fibrarum, tubulorum ac vasculorum compagem efformant, & hac ratione machinam constituunt.

§. XII.

Iam cum, anatomia monstrante, corpus humanum ex canaliculis, seu partibus liquidum quoddam continentibus, quæ speciali nomine *vasa* nuncupantur, constru-

Etum fit, inque illis liquidum mobile contentum adesse debeat, id quod cordis arteriarumque impulsus satis superque evincunt, sequitur exinde, quod fibræ corporis humani animalis & vivi sint elasticæ, nec mere passive se habentes, sed tensiles, flexiles atque sensiles insimul existant, & hinc per legitimam consequentiam activæ; gaudent enim motu suo systaltico ac diastaltico, magis vel minus evidenti.

§. XIII.

Actiones, quas partes corporis animalis & humani viventis, pro diversa organorum structura ac compositione, perficiunt, *functionum* nomine in scholis Medicorum insigniri, constat.

§. XIV.

Sanitatem voco illum corporis animalis & humani viventis statum, quo ad potentiam, actiones juxta finem sibi præscriptum exercendi, idoneus est homo.

§. XV.

Morbum contra statum illum corporis humani ac animalis internum judico, quo functiones suas omnes ac singulas minus ex voto assequi potest; hinc læsionem actionum, homini sano competentium, involvit.

§. XVI.

Cum functiones rite succedentes, vel saltem interruptæ, corpori humano vivo ac animali competant, hinc sanitas & morbus de corpore vita gaudente tantum, non autem mortuo, prædicari possunt, & sic corpus humanum sentiens vivum esse debet.

XVII.

§. XVII.

Actiones communiter dividi solent in *animales & vitales*.

§. XVIII.

Naturale in corpore animali ac humano id dicitur, cujus ratio & effectus in vi motrice rite constituta adsunt, seu in partium compositione, modo ac essentia.

§. XIX.

Præternaturalis ille nominandus erit status, in quo vis partium motricium, seu naturæ mutabilia ita determinata sunt, ut contra consuetudinem agant.

§. XX.

Movens ac mobile hinc, durante vita & sanitate, optime constituta sint, necesse est.

§. XXI.

Cum omne corpus animale ac humanum, si morbi & sanitatis vox generaliter sumatur, vel sanum, vel morbosum saltem esse possit, status neuter impossibilium utique numero erit adscribendus.

§. XXII.

Hinc omnis morbus dicendus est status præternaturalis.

§. XXIII.

Symptoma mihi audit, quod vel a morbo, vel ejusdem causa, aut mediate, aut immediate producitur, & vel morbum, vel rem morbosam involvit; & hinc tot sunt morbi, quot symptomata, quæ vel morbo, vel morbi causa sublatis cessant.

XXIV.

§. XXIV.

Animi adfectus, vel passiones, sunt certi animæ actus, ex certis nati perceptionibus, quarum operatione vel bona adpetere ac desiderare, vel mala evitare ac fugere solemus.

§. XXV.

Adfectuum sedes primaria habetur cerebrum, prout subiectum est anima, quæ, tanquam principium sentiens, liquidi nervei ac nervorum utitur ministerio ac influxu in organa sensoria, siquidem in cerebrum objectorum fiunt impressiones, quo læso, vel tantum nervo alicujus partis, animam nihil efficere posse constat, operatio enim illius tunc prorsus cessat, ut in morte comparet.

§. XXVI.

Anima sensitiva minime actiones vitales & naturales pro lubitu ac semper directe augere potest, vel tantum imminuere valet; licet non negandum sit, quod phantasticæ mentisque fortiores impressiones in actionibus naturalibus immutandis ac infringendis insignem exferant efficaciam, ac machinam naturalem hinc valdopere adficiant.

§. XXVII.

Licet autem phantasia non res mere corporeâ ac materialis sit, hæc tamen sine lege motus causisque mechanicis, quales sunt partium solidarum & fluidarum structura, conformatio ac naturalis dispositio, vel præternaturalis immutatio, vix percipi ac ullo modo demonstrari potest.

XXVIII.

§. XXVIII.

Medicina principiis tantum mechanicis, motui nempe ac materiæ, innititur, & hinc corporis vires ejusque effectus producti, certo numero, pondere atque structura, vel efficacia ad motum, absolvuntur, adeoque tanquam operationes mechanicæ, quoad corpus humanum naturale ac vivum, sunt considerandæ.

§. XXIX.

Morbus iste, in quo judicii & rationis actus circa rerum ideas non nisi confusi deprehenduntur, *mentalis* creditur, & talis utique est ille morbus, qui *furor uterinus* dicitur.

§. XXX.

Ad mentis morbos & hic adfectus pertinet, qui alias quoque *delirium rabiosum* nuncupatur, & in Veneris immoderato consistit adfectu, quo vel in certam tantum aliquam personam, a qua se amari reputant hoc morbo detentæ, vel in omnes indiscretim mares pelluntur, quo priori casu *Erotomania* (quasi amatus, vel amantis furor) *personalis* audit.

§. XXXI.

Per *furorem uterinum* itaque proprie intelligitur mania uterina, id est, *delirium chronicum absque febre & tristitia, cum immoderato & effreni quasi Veneris desiderio, ab utero & ovariiis intensius stimulis inductum.*

§. XXXII.

Hæc passio adeo gravis & vehemens est, ut scemellæ
fa-

sanæ, rationis usu orbata, multis sermonibus & actionibus, hunc morbum arguentibus, exposita, variis adhuc exagitentur pathematibus; præcipue autem, si lascivis venereis indulgent cogitationibus, iisdemque fixioribus obtemperant, vel minus ex voto objecti amati participes factæ, speque sua hinc excidentibus, chronica experiuntur deliria, atque tunc, dum sano destituuntur ratiocinio, venerem immoderate & perquam proterve concupiscunt.

§. XXXIII.

Inprimis autem quadam illarum, maxime quæ temperamenti cholero-melancholici sunt, nil nisi violenter ac turbulenter agere conantes, in turpissimum hunc ut plurimum delabuntur adfectum; aliæ contra, quarum temperamentum sanguineum est, rebus non nisi jucundis & lascivis speculationibus indulgentes, quovis modo manifestando libidinis explendæ desiderium, omnique pudore posthabito illud prodentes, hoc malum pariter incurrunt. Nonnullæ amore infano occæcatæ, certa solummodo subiecta amore deperientes, pro temperamenti sui diversa & peculiari constitutione, ex impatienti ejusmodi subiecti potiundi desiderio, tantopere & ita quidem insanunt, ut iudicio prorsus destitutæ, amorem, dementiam atque desiderium venereum aperte profiteantur.

§. XXXIV.

Varios ergo hic adfectus gradus agnoscit, ita ut in quibusdam tantum præ vehementia cupiditatum venerarum,

arum, impudentiæ ac verecundiæ dominetur oblivio; in aliis autem notabilis sese manifestet desipientia, ac tandem in nonnullis subjectis mens ad motus fere rabiosos concitata, cum vel sine lucidis intervallis, dramata sua & tragœdias ludat.

§. XXXV.

Veteres hunc morbum pro variis, quibus ut plurimum stipatus incedit, schematibus, modo *Nympham*, five *Nymphomaniam*, modo *Satyriasin fœminarum*, modo *turpitudinis* vocarunt *symptomata*, quorum tamen nominum accuratissimam distinctionem indagare & explanare vix operæ pretium erit.

§. XXXVI.

Delirium cum furore & audacia *mania* dicitur; *melancholia* contra est delirium sine febre, cum tristitia & timore junctum. Hinc, quæ melancholici sunt temperamenti, mulieres, tristes sunt, timidæ, hominum consortia refugientes, fixas cogitationes, inque rem intentiores ac pertinaces habentes, pulsum obtinent ut plurimum tardio-rem, simul vero magnum, & nonnunquam debilem ac parvum.

§. XXXVII.

Ipse autem uterinus furor in nonnullis, per breve tantum temporis spatium insurgens, mox terminatur, in aliis vero per longius tempus durans, valde multumque eas affligit, quin in quibusdam per totam vitam continuat, ita tamen, ut earum nonnullæ non ita misere

ac tantopere præ aliis desipiant, sed certo tantum temporis tractu ad hunc furorem revertantur, eundemque tunc imprimis, quando paroxysmus recurrit, manifestent.

§. XXXVIII.

Signis circa hunc adfectum fere non opus est, cum in plurimis nimium quantum manifestum sit, quam graviter & pervicaciter illæ misere insanientes omnes honestatis leges & decori limites transgrediantur, & sic phantasiæ ac iudicii actiones perturbatas demonstrant.

§. XXXIX.

Omnis namque furor, licet pro subiecto proximo, seu morbi sede, cerebrum agnoscat, hic tamen nomen suum traxit a subiecto remoto, sive utero ac partium cum eo connexarum compage, eumque tunc maxime oriri ac induci probabile est, quando cum in utero, tum ejusdem vagina, nec non ovario, genitale mobile liquidum restagnans, inque recessu retentum, lascivis cogitationibus ac desideriiis venereis exagitur & orgastice commovetur, atque si illud sensim sensimque majori in copia fuerit collectum, tunc, partes genitales insigniter ac libidinosè irritando, continuum & immoderatum Veneris desiderium excitat, appetentiam ejusdem, cum anxietate quadam mentisque perturbatione conjunctam, demum inducens.

§. XL.

Cum vero proinde in tenera virginum prima ætate instinctus amoris naturalis adsit, & in viduis etiam Veneri
ad.

addictis minus tolerabilis existat, versus uterum autem erupturus sanguis menstruus decumbat; hinc stimulus, pruritus, materiaeque quam in coitu effundunt collectio ac turgescencia, contingunt, indeque mirum haud est, quod tandem, ob rationis torporem & obnubilationem quandam subsequentem, pudicitiae regulas negligant, omnesque verecundiae limites prorsus transgrediantur infelices tales aegrotæ.

§. XLI.

Quod abdominis viscerum diuturna spasmodica detentio remote haud parum quoque huc conferat, tot hysteriarum ac hypochondriacarum exempla clare satis demonstrant, siquidem sub hoc statu animi individuales phantasticæ impressiones, pro cujusvis subjecti indole & conditione, facile excitantur, ita ut, omni rationis regimine excusso, liberius emicent, seque sine dissimulatione, quin impetuose tandem, exferant.

§. XLII.

His ergo præmissis, jam ad specialiorem hujus mentalis morbi devolvimur tractationem, quæ adfectum sane melancholicum pro fundamento remotiori agnoscit, quem etiam in causa esse, res ipsa satis superque eloquitur. Quænam autem sit vera ac constans ratio, cur in nonnullis tantummodo subjectis hic morbus occurrat, & ad animalium functionum labefactionem, cum notabili corporis detrimento, progrediatur, jam nobis erit dispiciendum.

§. XLIII.

Primo itaque certum omnino est, animi torporem excitari, quando sanguis satis adhuc floridus, nec admodum crassus & viscidus, per cerebrum, cujus arteriæ summe exiguæ ac minutissimæ sunt, lento tantum gradu, ac cursu æquabili magis impedito, decurrit, iisdemque vasculis, vel etiam majoribus ramis æque ac capillaribus vasis, spasmodice & ultra statum naturalem adfectis, interjecta nervulorum filamenta, ex cerebri substantia medullari concreta & coalita, simul comprimuntur.

§. XLIV.

Sicuti autem statum animæ naturalem ejusque functiones & operationes, ex æquabili sanguinis circulatione ac progressu per capitis vascula, eaque tenuissima, arcessimus; ita quoque pariter judicamus, ex eodem illo circulo, in naturali suo tenore ac modificatione immutato, vel ipso sanguine intemperie quadam adfecto, turpissimum huncce morbum aliasque mentis depravationes esse derivandas. Breviter enim hic iterantes autumamus, tales ordinarie idearum inclinationes prodire ac operationes produci, quales in mente perficiuntur cogitationes, hasque eodem modo comparatas esse, prout constituta est massa sanguinea, ac fluidi vitalis humorumque succedit circulatio, atque vel tardior & impedita magis, vel celerior ac frequentior est.

§. XLV.

§. XLV.

Dum vero sanguis ita per loca anfractuosa & tortuosa cerebri tardius progreditur, tanto facilius dein fieri potest, ut idem ille in melancholicis subiectis circa caput quam facillime restagnet, (id quod vasorum turgescencia, manifeste ibidem occurrens, nobis confirmat,) quoniam sub hoc statu majori cum difficultate ac renisu denuo circulum subit, eundemque accelerare debet, si imprimis ad hanc corporis sublimiorem ac nobiliorem partem majori in quantitate congeritur. Hoc enim per se certum est, melancholici temperamenti scemellas sanguinem maxima ex parte viscidum, crassioris consistentiæ, tenacem, difficulter mobilem & ad obstructions summe pronum, alere, id quod experientia magis adhuc confirmatur, quæ docet, quod illæ, quæ longo abhinc tempore sanguinis ventilationes neglexerunt, solennes evacuationes ac repurgationes, per lunare tributum perfolvendas, non amplius obtinent, perquam facile gravi hoc morbo corripri possint. Proinde etiam partibus sanguinis constitutivis plus justo coherentibus, & ita circulationem tardiolem efficientibus, partes acido-fixiores ac terrestres succrescentes, particularum balsamicarum, ignearum, & inoquo fearum ac elasticarum vigorem supprimendo, torporem corpori ac inertiam conciliant, consequenter fixæ, perversæ ac pertinaciores circa objectum amabile confurgunt ideales perceptiones ac imaginationes, difficillime dein emendandæ ac expugnandæ.

§. XLVI.

Qualis itaque sanguinis temperies vel intemperies prædominatur, humorumque motus succedit, tales quoque in fœmellis, præprimis otiosis, ideas & cogitationes oboriri posse patet, juxta quas actiones suas plerumque dein dirigere solent.

§. XLVII.

Quod ergo sanguinis intemperies nimium quantum ad mentis morbos & pathemata producenda conferat, & ex ea facultas agendi, sive animi vires, in statu hocce præternaturali dependeant, pro virili enodavimus, jam quid ætas huc faciat in apricum proferemus. Hæc sane, cum diversam subeat mutationem, utique sanguinis humorumque qualitatem diversimode constitutam requirit, unde & mentis quoque variam temperaturam ab hoc ætatis diversa conditione induci posse, inter omnes constat. Et hæc est ratio, quare infantes & pueri non æque obnoxii sunt gravioribus animi adfectibus, quoniam in illis actiones mentis adhuc imperfectæ sunt, ut hinc leviores saltem ac transitorias mentis experiantur commotiones. Quamprimum autem hæc pars, in sanguinis massa latitans, e pristino liberatur nexu & sui magis fit juris, tunc ex concitatiori sanguinis circulatione consurgere possunt variæ mentis commotiones impetuosiores, quæ, concurrente aut subsequente vitiosa organorum & viscerum constitutione, graves tandem & fonticas phantasiæ

tasia pariter ac iudicii & memoriae inducere valent laesiones.

§. XLVIII.

Ipsa quidem anima, tanquam ens immateriale, non offenditur, nec ullo modo adfici ac perturbari potest, ejusdemque facultates in se spectatae & proprie non patiuntur, easdem tamen mentis operationes in actionibus suis perficiendis, ob organa collapsa, vel vitio quodam tacta & perverse formata, hinc inverti posse, sufficienter jam constat. Quale vero animi cum corpore commercium sit, id conjectura solum assequi possumus ex raro sane & curioso exemplo, quod SANCTORIVS in *Comment. in art. medicinal. GALENI* p. 606. his verbis nobis sistit: *Nos cognovimus juvenem quendam implacabilem, temerarium, planeque irrationalem, qui post inflictum vulnus in ejus capite, cum deperditione cerebri substantiae, miraculi ad instar vixit superstes, & inde adeo factus est placabilis, adeoque prudens, ut in rerum suarum regimine, in agendo, inque prudenter loquendo paucos habuerit pares.* Ecquis proinde dubitaret, quin cerebro non solum adfecto, ubi motus progressivus non liber existit, sed & reliquis corporis partibus morbose detentis ac conspirantibus, animus infimul correptus valde permoveatur.

§. XLIX.

Inde igitur patet, ad perficiendas cogitationes rationi consentaneas, cerebri tonum ejusque partes ac organa rite constituta permuktum valere, utpote in quæ mens
hu.

humana suas potissimum exercere solet operationes, cum alias constet, cerebrum tam a rebus extrinsecus illatis, quam a motionibus interius concitatis, adfici, ita quidem, ut brevi tempore totum corpus, vi systematis nervosi, in similem abripiatur sensationem. Tanto majus autem in corpore detrimentum per objecta externa oboritur, tantoque graviolem partium mutationem hæc efficiunt, si humores, impuris partibus scatentes, liquidum nerveum similiter inquinant; hæc enim ratione cerebrum partes, ad suscipiendas deliras impressiones ideales maxime idoneas, fovet ac continet.

§. L.

Sub his itaque circumstantiis longe frequentiores magisque evidentes adfectuum causæ occurrunt, & objecta magis peculiare sensationes producant, quæ, si animum exhilarant, ac in sui contemplatione singulari, de eodem bono vel reali, vel saltem apparenter tali obtinendo, detinent, tunc ea animæ propensio, quæ cum liquidi nervei influxu ad organa sensoria, & cordis articularumque impulsu majori succedit, *amor* dicta, exoritur, dum ea, quæ bona, vel commoda nobis sunt, vel tantum speciem boni præ se ferunt, expetimus, & hoc pacto amor vel ad extensionem, vel diffusionem commode reduci potest, prout vel cum motu specierum majoris, vel & minoris momenti res ipsa & objecta externa animum adficiunt ac permovere possunt.

§. LI.

§. LI.

Hæc ergo animi propensio ita intelligenda est, quod motus, adfectuum turbas excipientes, certos motionum gradus ac undulationes in vasis agnoscant, siquidem modo has, modo illas partes in corpore renitentes, pro diverso adfectuum genio ac humorum temperie, vel in temperie immutatas, commoveri videmus.

§. LII.

Fibrarum autem tensionem vividam relaxant, & successu temporis magis magisque invertunt, cogitationes continuæ ac circa objectum quoddam magis defixæ: Quemadmodum enim operatio ac consensus a fibrarum cerebri constitutione naturali, earumque motu tonico, maxime dependet; ita nulla res mentis acumen tantopere obtundit magisque debilitat, quam gravior animi commotio, fibrarum nisum & renisum exstimulans, simulque contractionem involuntariam efficiens, cum e contrario animus serenus ac tranquillus actiones vitales & animales in ordinario suo servet successu, sanguinisque progressum per organa ac viscera ipsumque caput insigniter faciliat ac promoveat.

§. LII.

Cum ergo hic noster detestabilis adfectus non aliunde, nisi ex sanguinis circulatione impeditiori, & excretionibus solennibus ac consuetis suppressis, vel deficientibus, sua trahat incunabula, fieri utique potest, ut idem sanguis motus erroneos ac spasticos adfectet, quippe

D

qui

qui ad caput & cerebrum vi legis circulationis appulsus, ea valde molestat, ita ut secundum HIPPOCRATEM, *Lib. de superfætat. c. XXIV. Tom. I.* ordinaria sanguinis evacuatio intercepta furere faciat. Inde est, quod a suppressa sæpiusque recurrente hæmorrhagia, nec non a menstruo profluvio cohibito, maniam, quæ in fœminis *furoris uterini* nomine venit, similiter excitatam observaverit FORESTVS, *Libr. X. Obs. 23. & 24.* ab hæmorrhoidum suppressione ZACVTVS *Lusitanus, Libr. I. Prax. admirand. Obs. 51.* & a feminis retenti fervore furorem maniacum inductum adnotaverit BARTHOLINVS, *Histor. 69. Cent. II.*

§. LIV.

Sub inæquali itaque humorum circulatione mensurumque obstructione, tanto facilius ad mentis morbos dispositæ deprehenduntur mulieres, & ob genus nervosum debilitatum symptomata subinde experiuntur atrocissima, siquidem a retentione lymphæ feminalis & accumulatione humorum tenaciorum, obstructiones inducentium, fœmellas furori uterino expositas fuisse, observationes passim produnt, quale exemplum PLATERVS *in Prax. med. Tom. I. cap. 3.* adnotavit & vidit in nobili matrona, ceteroquin honestissima, quæ & homines & canes, (quod turpe dictu) ad congressum verbis gestibusque turpissimis invitabat, sollicitabat. Exinde ergo satis elucescit, materialem utique causam hunc adfectum excitare posse, eidemque semel inducto fomitem suggerere idoneum.

§. LV.

§. LV.

Quemadmodum ergo inter Medicos constat, quod totius corporis animalis vivi sanitas in sanguinis quantitate, qualitate, humorumque per vasa rite constituta cursu æquabili, & liquidi nervei influxu decenti ad organa sensoria, consistat: Ita pariter cerebri, capitis, & quod in hoc tanquam domicilio residet, mentis, robur ac facultas iudicii, ab eadem humorum laudabili conditione & progressu per vasa minutissima, unice fere dependent. Optime huc respexisse videtur cœvus noster, dum in hæc verba erumpit: *Quo tempore cerebrum conquiescit, homo etiam sapit.* Merito idcirco exinde concludo: Qualis est cerebri conformatio, humorumque & liquidi nervei temperies, talis quoque mentis refulget facultas & iudicii acumen, ita quidem, ut mentis robur corporisque vigor, itemque imbecillitas, in cruoris vitalis vegeto ac libero progressu, partiumque solidarum ac fibrarum debito robore & legitima structura, unice fere fundata sint.

§. LVI.

Quando autem impuritates viscidæ ac pituitosæ humores inertes reddunt, & ita fomes sufficiens ad nostrum morbum ingenerandum relinquitur, tunc cerebri capillares tubuli, latice tali sterili obducti, a tono suo dejiciuntur, quoniam nimirum liquidum in nervis contentum, tanquam fluidum subtilissimum ac summe mobile, continuis intensioribus ac profundioribus animi meditationibus nimis jam commotum, magis magisque dissipatur,

& sub his circumstantiis postmodum quoque concurrens infimul feminalis liquidi orgastica ebullitio, temporis tractu sanguinis motui circulatorio labem adfricans, actiones vitales & animales valde invertit, idque nulla forsan alia ex ratione, quam quod cerebrum, & reliquæ corporis fibræ sensiles attritæ, sub intemperie ejusmodi humorum contracta extimulentur, organaque tam sensui, quam motui inservientia, similem persentiscant adversam sensationem. Liquidum enim in nervis contentum, tunc vel nimis excitatum, vel per continuum motum depressum, non amplius animi velificatur moderamini; hinc idem fluidum vitiose constitutum, vel tantum leviter immutatum, ideas perverse formatas alit, easque libidinosas producit, unde judicii imperfectio, & actiones mentisque operationes perversæ prodeunt.

§. LVII.

Tali enim modo omnino fieri debet, ut corporis humani fibræ, quæ antea naturali motu tonico gaudebant, tunc quidem & sub hoc morbi statu admodum relaxentur, sicque ad sensuum & motuum ministerium prorsus ineptæ reddantur, cum videlicet liquidum per eas transiens moderatam fibrarum cerebri tensionem & reliqui systematis nervosi renisum requirat, hinc mens tam diu, donec cerebri fibræ ac tubuli capillares sanguinis pressioni debite iterum resistere valent, sui juris fit, quæ contra sub varia humorum dyscrasia & intemperie vel nimis accenditur, vel plus justo defigitur.

§. LVIII.

§. LVIII.

Neque alia etiam subest ratio, cur sub humorum circulatione impeditiori, & fibrarum partiumque solidarum atonia, tantus animi lentor consurgat: Sanguis enim, dum inferiores partes spasmo detinentur, & obstructio quædam in vasis adest, ad superiora tunc magis restringitur, prout cordis, tanquam machinæ summe mobilis, & arteriarum systole, vel nimis hinc acceleratur, vel aliquantisper retardatur, unde progressus illius per cerebrum inæqualis redditur, & liquidi nervei secretio æque ac ingressus in nervos, ob compressionem per vasa nimium expansa inductam, impeditior redditur, quem dein actionum omnium, etiam mentalium, languor necessario excipere debet.

§. LIX.

Cum vero cerebrum & nervi, ex cerebello in cor, pulmones ac reliqua organa prodeuntes, voluntatis ministerio pateant, utique exinde varia sequitur animæ sensatio, prout motus in hisce partibus præsens, vel ad easdem accedens, fibras elasticas adficit, & eundem humores ac universa massa sanguinea, cum partibus solidis, promovere, vel retardare possunt.

§. LX.

Fluidi nervei influxus ad organa sensoria, quibus omnis motus & sensus peragitur, præcluditur, ejusdemque secretio ad tempus impeditur, si vasa cerebri majora

cruore viscido repleta, capillaria, tanquam minutissima aciemque oculorum subtilitate sua longe superantia, vi compressionis, in similem secum rapiunt obstructionem, & quia iisdem tubulis capillaribus influxus denegatur, hinc sensus hebetiores fiunt, & mens ipsa maxime turbatur, tandemque limites ordinarios transiliens, ob conjunctam voluptuosi temperamenti rationem, in singularem talem furorem abripitur.

§. LXI.

Sic ergo nunc manifesto liquet, quod & valetudo vitæque ipsa, & animus sanguinis qualitati motibusque omnino respondeant, dum ab ejusdem naturali, vel præternaturali constitutione, actiones animales ac vitales dependent, quæ motus leges, si secundum regulam naturæ insitam decurrentes perficiuntur, anima suas itidem operationes aptissime exsequitur, & ipsa corporis nostri machina quam diutissime inconcussa manet; sin minus, morbus, immo ipsa mors, ceu infensissimi humanæ vitæ hostes, præsto sunt. Tanta vis in sanguine ejusque motu ac temperie consistit, ut fundamentum & cardo moralitatis & prudentiæ in homine sit. Quapropter seite admodum ipse HIPPOCRATES scribit: *Sanguis, qui in homine præsiatur, magnam partem ad prudentiam confert. Et CELSVS, Medicorum facile Princeps, Lib. II. animalia inquit, fortiora, quibus sanguis crassior; sapientiora, quibus tenuior tardior vero; quibusque minimus, hebetia.*

§. LXII.

§. LXII.

Causæ autem, cur ad caput præprimis subinde sanguinis contingat restrictio, potissimum redeunt ad cruoris vitalis versus superiora congestiones validas, unde mentis & iudicii acumen obtunditur, id quod phantasiis adblanditur, iisdemque obtemperans, vel ob peculiare conformationis vitium, vel sanguinis orgasticam commotionem & liquidi seminalis dyscrasiam, furorem uterinum speciatim inducit. Mens ita a statu suo naturali recedens, ejusmodi cogitationibus oblectatur, ac corporis statum præternaturalem simul innuit.

§. LXIII.

Cum etiam porro melancholia hæreditaria detur, ex mala cerebri tubulorumque conformatione contracta, & a parentibus in liberos propagata, hæc quoque viam ad furorem uterinum pandere potest proximam.

§. LXIV.

Cum vero omnis actio æqualem reactionem requirat, necesse omnino est, ut eadem constrictio, dum inferiores partes spasmo detinentur, regurgitationem ad cerebrum pariat. Per vias etenim arteriarum carotidum ac cervicalium, jugi cordis & arteriarum impulsu majori, copiosius sanguis ad cerebrum propellitur, & consequenter propter motum cruoris vitalis æquabilem interceptum, major vasculorum cerebri ac cerebelli tensio, majorque renitendi vis aliqualem compressionem minutissimorum tubulorum ac capillarum vasculorum

lorum efficit ; hinc a fibrarum tensione nimia, in organis motui voluntario destinatis, assidua sensationum idealium agitatio mentisque abalienatio enascuntur, quoniam sensationes ejusmodi continuæ ac circa objectum quoddam magis defixæ, cogitationum voluptuosarum agitationem excitant, prout fibrarum tensio augetur, vel relaxatur.

§. LXV.

Eo major autem talia subjecta simul obrepit honestatis oblivio, quo magis curis, vigiliis, aliisque animi affectibus gravioribus, corpus eorum viribus jam exhaustum est, & cerebri fibræ tenerrimæ tubulique minutissimi atonia laborant, minoremque sic nisum ac renisum exferunt.

§. LXVI.

De reliquo symbolum quoque suum ad hunc morbum confert, digestio non rite succedens, chylique elaboratio, ad partium alibilium appositionem summe necessaria, impedita. Sanguificatio enim, præsentibus partibus impuris, terrestribus ac fixioribus, vitiatur ipsaque M.S. inquinatur, unde motus alias vividiores, quibus perceptiones ab organis sensoriis ad cerebrum reflectentes innituntur, intercepti, propter nimiam sanguinis in arteriis vibrationem, in molliori cerebri substantia ac reliquo fibroso contextu, inordinatam & turbulentam exferunt impressionem, varias quoque dein turbas in mente inferentem.

§. LXVII.

§. LXVII.

Cerebri pariter ac nervorum in suo principio compressionem efficiunt omnia ea, quæ vasa distendunt & humorum transitum ex arteriis in venas retardant. Augent vero statum morbi, ut ipsa alimenta, sic quoque potulenta. Vini hinc austeri nimia ingurgitatio, vel liquoris cujusdam adusti liberalior assumptio, cerebri tenerrimæ structuræ vim facile adferunt, tam sanguinis massam commovendo, quam eandem spissiore, & sic ineptam ad liberum progressum per cerebrum, reddendo, unde dein necessario & ipsa liquidi nervei secretio, & laudabilis ejus diathesis, insigniter læduntur, & consequenter functiones inde dependentes graviter turbantur.

§. LXVIII.

Quoad *prognosin* sequentia maxime notanda sunt: Si malum hæreditarium est, multumque jam invaluit, omnis sanatio suscepta anceps erit ac frustranea; curatu enim perquam difficilis est hic morbus, si erotomania personalis ad desperationem usque progrediatur, & rabiosi fere motus furorem accendant; immo, licet etiam fortassis liberatæ ab hoc malo fuerint tales femellæ, tamen deinceps a recidivis, vel etiam a melancholia, immunes haud manent, sique infimul temperamenti cholericæ sanguinei fuerint, tunc quoque ad generandam prolem vix aptæ deprehenduntur. Si vero aliis ex causis, v. g. mensium obstructione, viscerumque atonia non plenaria,

sed partiali tantum, hic morbus originem suam traxit; nec adeo inveteratus jam est, tunc sanationis quædam adhuc spes adfulget. Remedia autem generaliora potissimum sunt venæsectio larga, itemque emetica & purgantia per epicrasin.

§. LXIX.

Omnis igitur medentis intentio eo maxime dirigenda erit, ut

- I. *Humores a capite derivet,*
- II. *Vasorum stricturas spasmodicas tollat, &*
- III. *Sanguinis & liquidi nervei æquabilem motum & influxum in organa sensoria restituat.*

§. LXX.

Ex dictis itaque facile adparet, non dari auxilium præstantius, & ad hunc morbum magis accommodatum, quam venæsectionem in pede, & largam sanguinis hac ratione factam depletionem. Si enim ullum remedii genus in instanti levamen adfert, hæc certe sanguinis ebullientis imminutio id præstabit, quippe qua sanguis, versus superiora restrictus, a capite non tantum divertitur ac derivatur, sed & reliquæ humorum massæ liberior circulatio restituitur.

§. LXXI.

Non minus quoque exinde perspici omnino potest, quare vomitoria, quæ cruditates e primis viis optime evacuant, nec non purgantia paullo majori ac reperita
dosi

dosi oblata, ut sunt Elleborus niger, vel albus, debite correctus, opem in hoc adfectu ferant exoptatissimam, auctoritate cum magni HIPPOCRATIS, tum ratione & experientia ipsa hic consentientibus. Acri enim stimulo per purgantia excitato, & ipse sanguis cum sero exagitur, & a partibus superioribus revocatur ad inferiora, sicque deserendo caput, illud a phantasmatis liberat, ubi tamen circa purgantium usum notandum, iisdem Θ ia neutra, itemque D osa, detergentia, absterfiva & humectantia, in quantitate sufficiente, præmitti debere, ut serum illud crassum ac tenax resolvatur, fluidumque redditum per glandulas intestinales eo facilius eliminetur.

§. LXXII.

Quoniam porro stricturæ spasmodicæ sanguinem ad caput impetuose pellunt, hinc ad illas relaxandas optime convenient temperantia, aperientia, diaphoretica blandiora & antispastica, quæ cruoris vitalis circulationem simul æquabilem reddunt.

§. LXXIII.

Ante omnia atitem necesse erit, ut alvi obstructiones per pilulas uterinas polychrestas referentur, vel etiam per clysteres removeantur. Circulo autem sanguinis per cerebri membranas, quas arteriolarum insignis plexus irrigat, præpedito, motum intestinum intendi, sibi que dein relictum temporis tractu in inflammationem periculosissimam degenerare, & nisi tempestive huic

morbo succurratur, in perfectam *νεκρωσιν* omnino transire posse, ex supra dictis constat. Hanc vero ut præcaveamus, præmissa extra paroxysmum venæsectione satis larga, pediluvia, ex herbis emollientibus, paregoricis & Θ e communi parata, in usum vocanda erunt, præsertim autem balnea, vel etiam infusus tepidi quotidie adhiberi possunt, in quibus per integram horam & ultra ægrotæ detineantur.

§. LXXIV.

Si ad balneorum tepidorum, ex ∇ a fluviali parandorum, vel etiam pediluviorum, frequentiorem usum disponi possunt ægrotantes tales scemellæ, multum inde levabuntur, quoniam tam calore suo, quam humiditate, sanguinem tenacem ac viscidum blande resolvunt, & substantiam cutis carnosam & porosam emolliendo, partium impurarum excretionem per transpirationem promovent, & hoc pacto sanguini vitali adfluxum ad partes æquabilem magisque liberum conciliant, ut inde ipse cruor vitalis, deserendo caput, ad inferiora potius magisque remotiora derivetur ac transeat.

§. LXXV.

Haud levis autem spes, morbum huncce feliciter extirpandi, in emendatione vitiorum materialium simul posita esse videtur. Quodsi ergo ab excretionibus menstruis suppressis ille potissimum originem simul trahat, his revocatis & juxta ordinem naturalem procedentibus, faci-

facilior expectanda erit restitutio, id quod etiam de correctione dyscrasie humorum, per congrua remedia adjuvanda, pariter valet.

§. LXXVI.

Nihil autem violenter in medendi methodo, sed omnia blande tantum & successive moliri decet, & curationem adgressurus, suppressionibus aut retentionibus consuetarum, vel solennium evacuationum, ante omnia in ordinem redigendis studeat, præcipue autem si malum fuerit idiopathicum; opus enim tunc erit, ejusmodi scemellis de idonea providere conversatione, ut nemo admittatur, qui ipsis in omnibus adblandiendo, malum foveat magisque adhuc obfirmet, vel & impertune obloquendo, earum animum irritet. Blande autem forsitan ad vitæ genus emendatius deductæ, potu utantur copiosiori, &, si ad motum corpori congruum & assiduum dispositæ fuerint, tunc crebriores sanguinis ventilationes subjungantur & congruis temporibus sedulo repetantur.

§. LXXVII.

Cum vero in ejusmodi subjectis summa per sepe adsit pervicacitas, & tanta quidem, ut difficulter admodum remediorum obtemperent regimini, & ob robur virium, sub tali furore auctum, non facile medicamentorum vincantur viribus; hinc quicquid hic evacuandi sine offerendum erit, efficax sit oportet, & si dupla dosis spei nondum respondeat, eadem denuo, si status non

contrarietur, necessitate urgente, repetenda venit, præsertim cum in plerisque etiam alvi pertinacissima observetur obstructio.

§. LXXVIII.

Quoniam nulla etiam alia superest via, corruptas illas in humoribus hærentes impuritates expugnandi & eliminandi, nisi se- & excretionibus auctis, hinc optimum utique videtur, eam potissimum seligere excretionem, quæ plures alias simul adficiat & concitat.

§. LXXIX.

Talem autem effectum, communi experientia suffragio, exserit vomitus, utpote quem deinceps transpiratio sensibilibus aucta excipit, & qui vel ideo quoque hic maxime conducit, quoniam motu concussorio auctiori inducto, materiam vasis impactam simul magis mobilem reddit.

§. LXXX.

Huic scopo præ omnibus aliis convenientissima est ∇ a benedicta Rulandi, ita quidem, ut Vitri ñnii ʒss . infundatur cum vini albi ʒiiiss . post digestionem sufficientem clare filtratus liquor pro dosi detur, quæ si nihil agat, vini dosi pro infusione minuatur.

§. LXXXI.

Singularem prorsus effectum tunc imprimis exserunt emetica, quando subest suspicio, quod malum a philtro quodam enatum sit, & hinc cum fructu tunc offerri potest

est

est Pus emetic. ad gr. iv. aut v. vel statim assumatur sapa vomitoria Sylvii, cujus gr. v. initio diluantur ꝑj. vini. Si vero sufficiens exinde non subsequatur operatio, tunc augeatur dosis sapæ, usque dum optatum exserat effectum. Operatione ex voto peracta, roboretur ventriculus, vel potu vini generosi, vel Laudano liquido Sydenhamii stomachicis addito, quo facto plerumque transpiratio paullo auctior succedit. Ejusmodi emetica non tantum primas vias evacuant, sed & ad viscerum obstructions, vi sua activa & commovente, referandas, haud parum conferunt.

§. LXXXII.

Ad libidinem extinguendam, si feminis abundantia adsit, temperantia & resolventia, qualia inprimis sunt Otrum & camphora, conducunt. Eandem intentionem adimplet decoctum radic. & flor. Nymph. ejusdemque ꝛa destillata. Commendari quoque solent, tanquam refrigerantia, semina Portulac. Solan. Rut. ac Menthæ, itemque emulsiones ex frigidis seminibus. His nondum satis proficientibus, ad specifica progrediendum, & simul expectandum erit, quousque illa adhuc salutarem aliquem præstare valeant effectum.

§. LXXXIII.

Specificè equidem, nescio vero quonam effectu comprobatum, laudatur decoctum Anagallid. flore puniceo, ex qua herba nonnulli Essentiam, vix æque laudibus effendam, parant. Solet autem sine ullo additamento ex ꝛa sola paratum decoctum adhiberi.

§. LXXXIV.

§. LXXXIV.

Quod autem reliqua magis appropriata attinet remedia, Dosa nempe & camphorata, pulvis hujus circiter compositionis satis laudabilem pollicetur effectum: ℞. Otri depurat. vel fiat. ℥iij. Camphor. gr. xij. Ois ℥ij. rectificat. ℞β. M. F. ℞. divid. in IV. partes equal. de quo pulvere bis in die dosis sumenda. Externe nuchæ, temporibus & collo sequens, mediantibus linteis, applicandum venit epithema: ℞. †ti Rosar. ℥j. †tus Rosar. ℥j. ∇æ theriacal. ℥ij. Otri ℥β. Camphor. gr. xij. Opii Thebaic. gr. vj. M. D. ad Vitr.

§. LXXXV.

Capiti porro derafo, extra paroxysmum, pulli columbarum aut gallinarum recenter dissecti, vel pulmones vituli, calide applicari queunt. Hæc remedia *tertiam* adimplent *indicationem*. Quoad *secundam* autem commendandus acidularum usus, vel etiam pro potu ordinario convenit ∇a simplex, cum succo citri largius acidulata, vel cerevisia tantum tenuis, pariter citrata, itemque serum lactis dulce & tamarindinum cum Otro offerendum.

§. LXXXVI.

Animale remedium sequens operæ pretium forsan faciet, & alias quoque fecisse visum fuit: Sanguis nempe anatis maris, (nigri potissimum) ex cervice incisa profluens, †ti & ∇æ calidæ aa. ℥ij. excipiatur, deturque laboranti bene sitienti, ex vase non pellucido, ut totum exhauriat.

hauriat. Operationis ac effectus salutaris indicium præbet sudor in fronte, sub profundo somno, copiose erumpens.

§. LXXXVII.

Sunt iterum, qui sanguinem asini, retro aures extrahendum, deprædicant. Lintea eo imbuantur, quorum portio duos digitos longa, & pollicem æquans, tota immittenda erit potui, ut extractio inde parata sudorem proliciat.

§. LXXXVIII.

Excretionum quoque, præsertim alvi, legitimo successui invigiletur, simulque transpiratio insensibilis adjuvetur. Hinc clysteres detergentes & emollientes tutissime applicari, vel etiam exhiberi possunt infusa per epicrasin laxantia. Neque etiam contemnenda est Wedelii Traçtis helleborata, ejusdemque Eff. Anagallid. compos. seu cephalica, hujus compositionis: ℞. Rad. Pæon. Trifol. fibrin. Scorzoner. Hellebor. nigr. ver. aa. ʒβ. Hb. Anagall. phœnic. M. iij. Lichen. Meliss. aa. M. j. Rorell. Betonic. Salv. Verben. Fl. Hyperic. aa. M. j. Bugloss. Papav. rh. Fumar. aa. P. iv. Lign. Santal. rubr. Visc. quern. Baccar. Parid. Cubebar. aa. ʒiij. Croc. ʒij. M. concis. contus. gr. m. extrahantur c. f. q. spirit. vini.

§. LXXXIX.

Præcipue autem in diætâ rectissime instituenda nihil prætermittendum est. Idcirco vinum, aromata, sermones & libri amatorii, excludantur, otiumque evitetur.

F

Ad

Ad motum potius corporis temperatum & ad conversationes invitentur tales delirantes, quo fixiores amatoriae ideæ successive deleantur. Omnia si tranquilla fuerint, menstruis, vel hæmorrhoidibus provocandis opera detur.

§. XC.

Humores ferocientes insigniter temperant, diluunt & corrigunt, humectantia, æe blando & vaporoso imprimis pollentia. Talia autem sunt: I. Emulsiones e seminibus iv. frigid. major. Papav. alb. ∇is appropriatis, v. g. Meliss. f. v. Anagallid. Lil. convall. †tos. †tosell. fl. Acac. Betonic. Rosar. Primul. ver. vel ∇a tantum fontana, parata, largiusque assumta, addito syrupo papav. albi. Facit etiam huc ipse potus largior ∇ofus, †do quodam imbutus, & pro potu ordinario, in pauperibus, cerevisia secundaria tenuis, in ditioribus vinum, ∇a & †do citri contemperatum. II. Decocta & potiones ex cephalicis, aperientibus & resolventibus concinnata, ad curationem pariter quoque multum conferunt. Commendantur vero inter externa maxime, unanimi Practicorum consensu, balnea ∇æ dulc. item pediluvia, ex iisdem herb. cephal. parata, nec non capitiluvia ipsa, quibus sæpe purgantia haud incongrue commiscentur, veluti rad. Ellebor. alb. Agar. Mechoacann. alb. ad reserandos magis poros cutis capitis, adeoque ad penetrationem in vasa capitis promovendam; sacculi item ex hb. cephalic. Ole volatilæ eoslo præditis, itemque Gumm. Animæ, Mastiche & Olibano constantes, capitique impositi, vi sua balsamica ad
cir-

circulationem æquabilem promovendam aliquid confe-
runt. Illustr. b. m. WEDELIVS in mania sæpe cum fructu se
adhibuisse scribit solum decoctum fol. Lactuc. virid. quæ
virtutem refrigerantem, demulcentem ac temperantem
possident.

§. XCI.

Alterant quoque & temperant efficaciter epithemata
& frontalia, ex ∇is Solan. Semperviv. fol. Lact. Meliss. fl.
Sambuc. Acac. Rosar. Lavend. Rorismar. cum Camphor.
quibus porro addantur, pro re nata, Lign. fantal. r. Ⓞtr.
diat. Philon. Roman. Laudan. liquid. Sydenh. &c.

§. XCII.

Porro etiam conducit externe usus herbar. cephal.
in lixivio coctar. & instar capitiluvii applicandarum, item-
que sequens cucupha: ℞. Hb. Basilic. Major. Salv. fl. La-
vend. Primul. ver. Rorismar. Rosar. r. aa. P. iij. Mastich.
Succin. Thur. aa. ʒiij. M. F. Spec. pro cucupha, bals. vit.
⊖e volat. œeoso, vel ~tu Rorismar. irroranda.

§. XCIII.

Circa V. Snem notetur, eam in partibus superioribus
non esse administrandam, ubi alias in sexu virili jugulari-
um incisio prodest; sed potius vel in pede inferiori, vel
in fura, quoniam hoc in loco varices alias prodeunt, de
quorum fluxu HIPPOCRATES jam observavit, quod man-
am tollat.

§. XCIV.

Quando jam sufficienter corpus per balnea & infessus
F 2 tepi-

tepidos præparatum est, tunc per aliquot dies præbeatur infusum per epicrasin laxans, cum fibris Ellebor. nigr. & si fieri potest, vel menses, vel hæmorrhoides moderate provocentur, quo fine hirudines ad anum aut genitalia applicentur, quibus multum omnino levaminis in similibus morbis procuratum fuisse observationes testantur.

§. XCV.

Ufus Ellebori, veteribus adeo frequens, vix ac ne vix quidem commendandus est in nostro climate, posteaquam genuina illum exhibendi methodus jam pridem exspiravit. Conf. quæ de hac materia ex *Prosp. ALPINI Method. medic. Libr. III. c. X.* in *Dissert. de Elleborism. Veter. §. XXI.* optime adnotavit Excell. b. m. SCHVLTZIVS, inprimis autem in viris hypochondriacis sceminisque hystericis caute admodum procedendum est cum usu Ellebori etiam nigri, quoniam summe noxium interdum, immo plane deleterium exferit effectum, quemadmodum hoc exemplo notatu digno confirmat TVLPIVS, *Observ. Libr. I.* Cucurbitularum vero scarificatarum applicatio, præcipue ad inferiores corporis partes, insignem pollicetur utilitatem.

§. XCVI.

Ceterum sicubi in malo longo inducias quasdam impetravimus, juvabit semper per epicrasin successive expurgare noxios humores, & quidem per ita dicta melanagoga, adhibitis insimul herb. capillaribus, quæ potissimum sub hoc statu conveniunt, nimirum Cuscuta, Epithym.

thym. Fumar. Capill. ♀. &c. quibus cum fructu addi possunt Rhabarbar. & fol. Senn. sine stipticibus.

§. XCVII.

Furore uterino laborantes scemellæ optime sæpe sola venere licita, sive conjugio, curantur, maxime si ab initio mali via aliqua pateat ad matrimonium. Hæc omnium instar erit medela optima; altius vero jam radicato morbo, spes reconvalescentiæ ambigua sane est, propterea quod hoc malum remediorum vel selectissimorum respicere solet applicationem.

§. XCVIII.

Setaceum & fonticuli, in vertice, aut brachiis producti, nec non rubefacientia & cauteria, vertici inurenda, a celeberrimis quibusdam Practicis eximie commendata, ab aliis vero reprobata, ulteriori merito committimus experientiæ.

§. XCIX.

De reliquo etiam Empirici cujusdam mentionem facit Illustr. b. m. STAHLIVS, qui continuato usu ꝑis, ex herbis Adianthi alb. Verben. Salv. Betonic. Plantagin. Menth & Meliss. parati, in morbis variis mentis mira sæpe præstitit. Potest etiam ex hisce simplicibus, cum sacchari anatico pondere, tragea parari, quotidie bis ad ꝑis, vel etiam unam, assumenda.

§. C.

Si autem clitoridis magnitudo & eminentia excessiva, cum Satyriasi, adsit, nec ullo modo libidinosus furor

mentisque perturbatio extinguere possint, deliberatione tunc aliqua profecto opus erit, an provide & tuto etiam ad partem tam sensibilem urendam & secandam, citra limitum pudicitiae transgressionem, progredi liceat. Confer. DIONIS pag. 304.

§. CI.

Coronidis tandem loco superaddere adhuc placet monita quaedam practica, in curatione furoris uterini observanda: I. Venae sectio, praemissis pediluviiis, aliquoties repetita, optimum auxilium constituit, idque praesentissimum. II. Diluentia, temperantia, adula, humectantia, cum cephalicis & antispasmodis maritata & oblata, summe necessaria & proficua sunt, & sedulo, majori etiam quandoque in dosi, exhibenda veniunt. III. Cavendum tamen, ne in curatione hujus adfectus plus justo sanguinis massam, orgasmum ac ferociam humorum temperando, refrigeremus, vel, nimis crebro repetitis V. Sibus, plus justo imminuamus; Dosis enim nimium oblatis, calor naturalis extinguitur, motus se- & excretorius invertitur, liquidi nervei defectus inducitur, mentisque hinc simplicitas & abalienatio magis obfirmantur. IV. Medicamenta ex Hyperico, Anagallide flore phoeniceo & Melissa parata, specifica vulgo creduntur, atque etiam re vera, conjunctis quibus temperantibus, Sino- Dosis & antispasmodicis, omnem spem nonnunquam, sed non semper, adimplent; praestant enim quod possunt. V. Olia volatilia & eosa & cephalica decantata, utpote calidiora pharmaca, probe
evi-

evitanda sunt, quoniam humorum ebullitionem magis adhuc exagitant, majoremque inde adfluxum ad caput & regurgitationem ad superiora efficiunt. VI. A purgantibus acrioribus valdeque exstimulantibus, nec non omnibus drasticeis, sedulo abstinendum, quoniam genus nervosum admodum debilitant, & dum humores ad caput nimium urgent, graviores simul spasmodicas constrictiones excitant. VII. Emetica caute porrigenda sunt, nec nisi præsentente saburra viscida ac biliosa, in primis viis collecta, exhibenda veniunt. Si contra-indicans, v. g. graviditas, (quæ tamen rarius concurrat,) vomendique difficultas, simul adfuerit, & subjecti conditio tenera admodum existat, hæc penitus exulent. VIII. Opiata provide ac circumspicte offerenda sunt, quoniam propter ꝑ narcoticum, vaporosum, naturæ inimicum, ad adfectus soporosos facile disponunt; correctiora tamen, & parca quidem manu adhibita, in talibus subjectis, quæ nimis laborant vigiliis, ad contemperandos motus spasticos, cum fructu & tuto porrigi possunt. IX. In viscerum infarctu & oppilatione nullum fere præstantius, virtutem deobstruentem ac humores colliquantem possidens, occurrit remedium, quam ꝑ ꝑnii ꝑat. cum ꝑi, itemque aperientia sic dicta, antihypochondriaca & emmenagoga blandiora. Ipsa autem antihypochondriaca & alia sub forma liquida eo magis in usum vocanda sunt, quo frequentius tales scemellæ insimul hypochondriacæ sunt. Emmenagoga pariter tanto magis locum habent, propter-

ea quod menstrui profluvii obstructio huic morbo sæpius ansam præbeat. X. In præservatione ab hoc morbo sedulo evitare oportet animi adfectus graviores, sollicitudinem maxime, alimenta crassiora, viscida ac flatulenta, & largiori manu aromatizata, pingua, nec non frequentiorum spiritus vini ingurgitationem. Potus ordinarius tenuis sit, & inprimis cerevisia secundaria, minus lupulata, concedatur. Vini parti uni admisceantur ∇ partes tres, cum \ddagger di citri modica quadam portione, pro talibus maxime subjectis, quæ vino delectantur, & ad sanguinis orgasticas ebullitiones magis inclinant.

§. CII.

Hæc ergo quoad pathologico - practicam hujus affectus considerationem sufficiant. Te vero, Lector benevole, ut hunc meum laborem æqui bonique consulas, enixe rogitō, & quæ minus digna oculis videntur, aut quæ adhuc deficere intelliges, favoris Tui gratia supple, illud CELSI effatum cogitans: Non eloquentia, sed medicamentis morbos sanari. DEO autem T. O. M. pro clementissime huc usque præstito auxilio, fit laus, honor & gloria!

T A N T V M .




atione tunc
o etiam ad
ra limitum
fer. DIONIS

nuc placet
uterini ob-
aliquoties
praesentis-
umefran-
z oblata,
ri etiam
rendum
guinis
ando,
plus
or na-
ertitur,
simpli-
camen-
iffa pa-
, con-
modi-
adim-
eofa
probe
evi.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007